

G.B. num. 18.

1773, 2

13

DISSE
TATIO IN AVGVRALIS IVRIDICA
DE
VSVRARIA PRAVITATE
SVB PALLIATA TRANSACTIONE

QVAM
DIVINA ADIVVANTE GRATIA
EX DECRETO ILLVSTRIS IVRISCONSVLTORVM ORDINIS
P R A E S I D E
CAROLO FRIDERICO WALCHIO

I. V. D. AC PANDECT. PROF. PVBL. ORDINARIO SERENISS. DVC.
GOTHAN. ET ALTBVRG. CONSILIAN. AVLIC. CVR. PROVINC.
SAXON. COMMVN. SCABINOR. COLLEGII AC IVRECONS. ORDINIS
ADSESS. SOCIET. LATIN. IENENSIS EPHORO ET FLORENTINAE
COLVMBARIAE DVISBVRG. AC BREMENS. LITTER. COLLEGA

H. T. ACADEMIAE RECTORE
PATRONO ET PRAECEPTORE SVO
SEMPER PIE COLENDO

PRO
SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS
RITE CONSEQUENDIS
DIE XXVII. NOVEMBRIS MDCCCLXXIII.

PVBLICE DEFENDET
AVCTOR

IO. CHRISTIANVS CAROLVS FVRBRINGER
CELSISSIMORVM COMITVM IVNIORIS LINEAE RVTHENORVM
ADVOCATVS IMMATR.


IENAE
EX OFFICINA STRAVSSIANA.



DISSESTATIO INTEGRALIS IURIS
ASARIA PRIVATE
SABRATATA TRANSACTIONE

DIUINA SANCTITATE GRATIA
EX DECREEO PATRIÆ HABITOCUSTODIÆ ORDINIS
P R A E S I D E
C I C O L O T R I D E R I O M A L C H I O
H. T. A C C E S S U A R E P R O T O R E
R A F A I N D O E T P R E C O D I T O R E S A O
S E W E R L I E C O L F I N D O
S A M M S I N A T R I O C A E I A R E H O N O R I A S
F R I E D E C O N Z E D A L Y D I S
S I C X X I I I M O N I T U R I S H E C T E R I U S
F A M I L I E D I V I N D I P T
A V O T O R
I O. C H R I S T I A N A S C A R O L I A S T A R B R I N G E R
G E L T A U S C H W A B E R C O M I T I U M V I M B I C I S L I T T E R A T U R A M
G O D C A T A L I M M A T I

I R N A E
EX OFFICINA STRAUBIANA



CELSISSIMIS
COMITIBVS AC DOMINIS
DN. HENRICO II.

CELSISSIMI STEMMATIS

RVTHENICI SENIORI

DN. HENRICO XII.

DN. HENRICO XXIV.

DN. HENRICO XXX.

IVNIORIS LINEAE RVTHENIS,

COMITIBVS AC DOMINIS PLAVIAE,
DOMINIS GRAIZAE, CRANNIGFELDAE;

GERAE, SCHLEIZAE ATQVE

LOBENSTEINII, ETC. ETC.

COMITIBVS AC DOMINIS SVIS

CLEMENTISSIMIS AC GRATIOSISSIMIS



DISSEMINATIONEM IN AVGVRALEM
IN SIGNVM SVBIECTIONIS
RATHENICIS SENIOR
DICAT
ET CONSECRAT

COMITES CELSISSIMI,
CLEMENTISSIMI QVE DOMINI!



TANTA omnino VESTRAE in me clementiae sunt specimina, ut neque ea verbis exprimere, neque tanta encomia, quibus VESTRA in me collata beneficia satis extollam, inuenire possim. Eminet inter haec impennis venia mihi ex academia in patriam reuerso praxin iuridicam exercendi clementissime concessa; pro qua VESTRA singulari gratia atque fiducia vobis deuotissimam mentem gratiosissimumque animum publice declarandi, ardenter iam diu flagraui cupiditate. Quae cum ita sint, hocce inaugurale specimen, quod vobis omni submissō mentis cultu offero, exoptatissimam mihi suppeditauit occasio nem, VESTRAE erga me clementiae publicum grati animi

animi ponendi monumentum, certissime sperans,
vos hunc exiguum meum laborem VESTRA innata
indulgentia accepturos, conatumque meum deuo-
tissimae submissionis documentum esse interpreta-
turos. Numen supremum, quod veneramus, ar-
dentissimis votis semper implorabo, ut vos opti-
mos PATRIAE PATRES felicissimo in omnium ciuium
salutem conseruet statu, ornamenti excelsa gradu
dignissimis cumulet, VESTRAM QVE ex sapientissi-
mo regimine iam acquisitam immortalē gloriam
usque ad sera amplificet tempora. Ceterum
VESTRAE clementiae me commendo et demississime
a VOBIS peto, ut in posterum pariter VESTRA
me dignum habeatis indulgentia,

VESTRORVM CELSISSIMORVM
NOMINVM

Tenae
die XXVII. Nouembris
CICDCCCLXXXIII.

deuotissimus
IO. CHRISTIANVS CAROLVS FVRBRINGER.

CONSULTISSIMO VIRO
IO. CHRIST. CAR. FVRBRINGERO,
CAVSSARVM PATRONO DISERTISSIMO
S. D. P.
CAROLVS FRID. WALCHIVS, D.

BENE recordor temporis illius, quo nostro in musarum
domicilio legitimis disciplinis operam nauasti; neque imme-
mor sum ardoris incredibilis, quo illud est factum. Quum fe-
licitatis fruenteris, qua multos carere oportet, atque domestica
exempla, ad imitandum TIBI proposita, haberes, non potuit
fieri; quin rectam simul iiores studiorum rationem, quic-
quid iurisconsulto futuro scitu necessarium est; vel ei orna-
mento esse potest, ex recitationibus, quas frequentasti, hauri-
res, solidam per id iuris cognitionem TIBI adquireres eamque
omnibus TVIS, quos adires, doctoribus et inter hos quoque mihi
saepius probares. Haud erubisti, quum venerandus TVVS pa-
ter, vir de republica optime meritus, TE ad patrios lares re-
ducem, in forum prodire iuberet; sed judicialibus implicari TE
passus es negotiis cum successu eaque adhuc feliciter mul-
taque cum laude administrasti. Eadem ratione iurisconsultorum
ordini in vtroque examine profrus satisfecisti et perfectam
iuris scientiam ei commonistrasti et quid dicam de libello
TVO, quem iam in publicam emittis lucem, quiue plenus
est artis aeque ac doctrinae? Paras TIBI per sollemnam
eius defensionem contra tela doctissimorum aduersariorum,
quam meditaris, viam ad honores, TIBI iure ac merito decre-
tos eamdemque ob rem hodie me amicis TVIS adiungo,
qui TIBI plausus impertinent maximos et pro TYA salute vo-
tiuas suspendunt tabellas. Vale meque amore prosequi perge
Scribebam Ienae, d. xxvii. Nou. ann. post reparatam
salutem cicio CCLXXIII.

CON-



CONSULTISSIMO AC DILECTISSIMO
FRATRI
IO. CHRIST. CAROLO FVRBRINGER

S. P. D.

IOANN. GOTTLIEB FVRBRINGER D.

Quo singulari te, dilectissime frater! semper amplexus sum amore; eo maiori perfundor gaudio, cum te vber- rimos tva eruditionis fructus mox percepturum videam. Ascendes iurisconsultorum cathedram, gestoque eruditissimo certamine victor descendes, ut demeritam lauream, summos nimirum in utroque iure honores consequaris dignissimus. Gratulor, optime frater! gratulor non tibi, et nostro ad cineres usque deuenerando patri solum, sed mihi quoque de tam gloriolo, solemini, et iam diu exoptato actu, quo etiam me te cum disceptantem ac testem interesse cupis. Gratulor, et si vota valent, mea de tua sempiterna salute, ac in columbiae sane sunt ardentissima. Vale, et me, ut soles, amare perge. Scribebam Gerae Calendis Nouembbris

MDCCLXXIII.



DISSERTATIO IN AVGVRALIS IVRIDICA
DE
VSVRARIA PRAVITATE
SVB PALLIATA TRANSACTIONE.

S. I.

Introitus.

NOSTRIS saepissime, experientia teste, fieri solet temporibus, ut homines alias callide vario modo pecunia fraudare conentur; imprimis autem illi in eiusmodi incident crimen, qui pecuniam collocant foenore et plus quam quincunces sumunt vsuras, aut etiam sub alio praetextu sibi aliquid stipulantur, quod ultra determinatas in iure vsuras a debitorum soluitur, sicque modum usurarum ordinarium excedit.

A

Non

Non autem in contractibus mutui solum, sed in aliis quoque et praecipue transactionibus usurariae prauitatis crimen modo palliato committi potest, et committitur. Non raro hic casus accidere solet, ut transactiones inreantur, sub quibus tamen usuraria prauitas est palliata. Quam ideo ad conscribendam disputationem inauguralem elegi materiam, et in ea, cum hanc materiam iam pertractatam legisse non recordor, de usuraria prauitate sub palliata transactione quedam pro virium ratione differere, mihi proposui. Priusquam autem me ad ipsam materiam conuerto, generalia quaedam, illustrationis causa, tam de usurae, quam transactionis notione praemittam.

§. II.

Quid est usura?

Diuerso modo a Iurisconsultis definitur usura, a) mihi autem illa breuitatis causa hoc modo definienda esse videtur. *Usura est certa quantitas pro usu sortis praestanda.* b)

a) *Perill.* HELLEFELD in iurispr. forens. §. 1129. BOEHMEB in introduct. in ius digest. Lib. XXII. Tit. I. §. 1. STRVV. in iurisprud. romano-Germ. forensi, Lib. III. Tit. XX. §. 19. MATTH. COLER. in Tract. de process. execut. P. I. cap. IO. n. 36.

b) L. 60. D. pro satio, L. 14. 15. C. de iuris comp. curiosi
ad usuras amissive tribuum except. ministris
ad usuras amissive tribuum except. ministris

A

§. III.

§. III.

An usurae sunt licitae?

Neganda esset haec quaestio, si illam iure canonico a) dijudicare volumus. Quoniam autem hoc loco male explicatur ius diuinum, et ex tali erronea interpretatione decisio huius quaestioneis est desumpta, hinc quoque a Doctoribus haec iuris canonici dispositio ad usuras immoderatas et illicitas tantum restringitur. b) E contrario tam ius Iustini-
neum c) quam leges imperii d) usuras permittunt, neutri-
quam vero prohibent vel iniquas iudicant. Hinc absque
ulla restrictione contendere licet, eas, nisi modum in his
legibus praescriptum excedant, esse licitas.

a) C. 4. X. de usuris.

b) HAHN ad WESENB. Lib. XXII. Tit. I. h. MEYERI dispur. sub
praefidio H. BODINI habita, de usuris licitis ultra quincentos cap.
II. §. 12. sqq.

c) L. 20. §. 1. C. de Usuris.

d) RECESS. IMP. de anno 1654. §. 139; et R. I. de anno 1654. §. 174.

§. IV.

Quid iure naturali?

Quicquid ciuiliter iustum, non statim naturaliter iustum
nominandum est, cum, vti experientia saepius docet, non
omnia facta iure ciuili licita etiam iuris naturalis principiis
respondeant. a) Quodsi igitur non ex alio fundamento

A 2

qua-

quaestio: an ius naturae liceat vſuras sumere? effet defen-
denda, certe ex permissione iuris ciuilis non sequeretur.
Regula autem, nemo cum alterius damno fiat locupletior,
in dijudicanda hac quaestione attentionem nostram eo magis
meretur, quo certiores sumus persuasi, illam iuris naturalis
principiis maxime esse conuenientem. b) Ne licet quidem
alteri damnum, etiamſi sit exiguum, inferre, multo minus
cum alterius damno lucrum capere. Qui vero ex alterius
forte omnem percipit vtilitatem, non omne solum ex vſu
fortis eueniens lucrum ſibi ipſi tribuit, ſed efficit quoque,
vt dominus fortis vtilitate ex re ſua interdum perciplienda
plane carere debeat, et in hac relatione debitor omne ex re
aliena habet temolumentum, cum e contrario creditoris vſu
ſuum quoad vſum fortis diminuitur, hinc ille cum damno
huius ſe locupletiorem reddit, quod verum iuri naturali
plane repugnat. c) Quamdiu enim debitor vſum ex forte
ipſi mutuata capit, tam diu dominus pecuniae huius caret vſu,
et ante definitum tempus non potest repetere, haecque pri-
uatio vſus, quem quilibet dominus ex ſuo percipere potest,
pro damno non quidem directo, indirecto tamen, cum ne-
mo rem ſuam negligere praesumendus, eft putandum. De-
mum autem, ſi etiam aliquis, quin ex antea proposita ra-
tione vſurarum solutionem defendat, meaque accedat fen-
tentiae, dubitaret, tamen, ſi modo ſecundum generaliora
iuris naturae, imprimis aequitatis principia hanc considerat

atque

DE VSVRARIA PRAV. SVB PALLIATA TRANSACT. 5

atque perpendit materiam, in meam delcedenter opinionem.
Longe enim aberrat ab hac aequitate, omnem ex re aliena-
cum exclusione domini percipere utilitatem, vbi semper
creditori totam amittere sortem, metuendum est, si forsitan
debitor suus per casus varios inopinatos, e. g. incendium,
talem redactus est in statum, ut restitutio sortis ipsi plane
sit impossibilis.

- a) Satis enim nota in iure est regula: summum ius est saepius sum-
ma iniuria.
b) L. 14. D. de Condit. ind. L. 206. D. de Regnl. iur.
c) MATTH. COLER. in *Traict. de process. execut.* P. 1. cap. 10. n. 50.
LAVTERBACH. *Colleg. pract.* L. xxii. Tt. 1. §. 10. H. MEYERI diss.
sub praesidio BODINI habita; *de usuris licitis ultra quincunces* cap.
11. §. 1. 1gg. vbi simul aliae ad stabilendam hanc sententiam addu-
cuntur rationes.

§. V.

Quotuplici modo debentur usurae?

Obligatio usurarum solutionem producens stricto iure
duplex proprie haber fundamentum, conuentione nempe
et moram. Usurae ex conuentione debitae praeponunt le-
gitimam causam, seu pactum, quo alteri usus pecuniae cre-
ditae conceditur; a) quodsi vero haec cauſa non adest, ad
praestandas usuras debitor non est obligatus, nisi solutionem
protrahat et sic in mora soluendi existat. Qui enim in mo-
ra versatur, praestanda sine iure differt, sive contra ius
agit,



agit, et qui contra ius agit, sibi ipsi non vero alteri damnum potest inferre; quae dispositio iuris hoc loco quoque est applicanda b). Denique est notandum, quod prioris generis usurae conuentionales seu compensatoriae, posterioris verum punitoriae vocentur.

a) L. 13. §. 20. D. de Actionib. E. v. MEVIVS Lib. VI. decis. 33.
 b) L. 173. §. 2. D. de Regul. Iur.

§. VI.

Continuatio.

Usurae soluuntur vel ex conuentione; vel ex mora; (§. praeced.) nihilosecius tamen dantur casus, in quibus leges usuras neque ex conuentione, neque ex mora debitas postulare permittunt et praestare iubent. Occurrit hoc imprimis in mandato, ubi procurator pecuniam alienam in usus suos conuertens, usuras soluere tenetur. Atque haec est Vlpiani doctrina a), quam legimus sequentibus in verbis: *Si procurator meus pecuniam meam habeat ex mora utique usuras mihi pendet, sed et si pecuniam meam foenori dedit, usuras, que consequitus est, consequenter dicemus, debere eum praestare, quantumcumque emolumendum sensit, siue ei mandauit siue non: quia bonae fidei hoc congruit, ne de alieno lucrum sentiat.* Quod si non exercuit pecuniam sed ad usus suos conuertit, in usuras conuenietur quae legitimo modo in regionibus frequentantur. Denique

Papi-

Papinianus ait: etiam si usuras exegerit procurator, et in usus suos conuerterit, usuras eum praestare debere. Hac in lege, neque in conventione neque in mora posita est ratio, cur procurator usuras praestare debeat, sed solummodo in bona fide, quae mandatario ex pecunia mandantis lucrum capere non permittit. Idem Iurisconsultus alium ex eodem negotio casum evenientem, ubi mandans ad usurarum praestationem est obligatus, in his verbis proponit. b) Simili modo, et si quid aliud mandaueris, et in id sumptum fecero. Nec tantum id quod impendi, verum usuras quoque consequar. Neque conuentio praecedens, neque mora hic mandantem tam ad restitutionem eius, quod impedit mandatarius, quam ad usurarum praestationem obligat, et tamen leges c) ultra §. V. determinatos casus usuras sumere permittunt. Non autem ex contractu mandati solum, sed etiam depositi aliquis absque praecedente de praestandis usuris conuentione vel mora ad earum praestationem potest esse obligatus, si scilicet depositarius vel usuras ex pecunia deposita accipit, vel re deposita ipse vtitur. Docet hoc PAPINIANVS d): Qui pecuniam apud se non obsignatam, ut tantumdem redderet, depositam, ad usus proprios conuertit, post moram in usuras quoque iudicio depositi condemnandus est. Huic assentit Imp. Gordianus e) in his verbis: Si deposita pecunia is qui eam suscepit, usus est non dubium est, etiam usuras debere praestare. Naturae depositi hoc qui dem

demi contrariari videtur. Depositarii enim est obligatio rem depositam gratis custodiendi, et quandocunque placet deponenti in specie restituendi *f*) et sic solus deponens omnem ex hoc contractu capit utilitatem *g*). Ut primum autem depositarius pecuniam depositam in suos conuerit usus, statim fit mutuum *h*) de quo si non usuroras praestare, ob propositum fenerandi praesumtum *i*) cum deponentis damno existeret locupletior, quod leges eo minus ab iis tolerant, qui, ut eum lege loquaimur, *k*) gratuitam, certe integrum et abstinentem omni lucro praestare fidem debent.

a) L. 10. §. 3. D. *Mandari vel contra*.

b) L. 12. §. 9. D. *cod.*

c) L. 1. C. *cod.*

d) L. 25. §. 1. D. *Depositari vel contra*.

e) L. 4. C. *cod.*

f) L. 1. pr. et §. 45. D. *cod.*

g) L. 24. *sub finem* D. *cod.*

h) L. 7. §. 2. D. *cod.* BRVNNEMANN ad L. 9. §. 9. D. *de rebus creditis.* SCHILTER *Pr. iur. rom. Lib. XXII. §. 36.*

i) Idem l. c.

k) L. 38. *sub finem* D. *de Negociis gestis.*

S. VII.

De usuraria prauitate.

Usuras sumere omni iure licere per praecedentes §phos III et IV. extra omne dubium est positum. Quomodo autem in quolibet iure limites sunt determinatae, ergo etiam

etiam in determinanda quantitate et vsurarum modo leges cauent. a) Qui itaque ultra quantitatem et modum a legibus praescriptum vsuras accipit, ille crimen vsurariae prauitatis commitit, sive poenae in illud statutae se noxiun reddit. Ex hisce igitur praemissis *vsurariam prauitatem non aliter quam delictum, quo quis scienter usuras legitimum quantum vel modum excedentes sumit, definiendam esse credo.* Vbi simul notandum est, omnes eos contraictus esse vsurarios, in quibus aliquid, quod legitimum modum et quantum vsurarum excedit, quocunque modo, quo quis etiam sub colore et specie fiat, stipulatum est. b)

a) Ius romanum distinctionem facit inter personas vsuratas sibi stipulantes et generatim variat. L. 26. §. 1. fqq. et L. 3. C. de Vsuris rei iud. Ius hodiernum ad quinquennes restringit, RECESS. IMP. de anno 1654. §. 174. quod etiam communiter sequimur, nisi vel ob periculum creditor i metuendum legitimae vsurarum quantitatis excessum leges tolerant, vel aliud statuant leges provinciales.

b) CARPOV. prax. crim. P. II. quæst. 92. n. 94. MEYVIS Com. ment. von wucherlichen Contraten Cap. v. §. 5.

§. VIII.

Transitus ad materiam transactionis.

Qui vsuratas legitimum quantum vel modum excedentes sibi stipulatur, ille crimen vsurariae prauitatis commitit, (§. praeced.) et cum quodlibet crimen sequitur poena,

B

ad

ad hanc evitandam usurarii lucrum 'excedens quoquis modo palliare omnem adhibent diligentiam. Variis contractibus, e. g. emptioni venditioni, locationi conductioni, dationi in solutum, mutuo, pacto de retrouendendo, societati, nouationi a) vt et transactioni et aliis usuraria prauitas inesse potest. Mihi autem cum de casu, quo sub transactione usuraria prauitas est palliata, solummodo est sermo, operae pretium erit, de necessariis tantum ad transactionem requisitis quaedam praemittere.

a) Cf. S. STRYKIVM de conuentionibus usurariis, et C. WILDEVOGELIVM de foenore et foeneratoribus; qui exempla de arte nominatis contractibus sub usuraria prauitate initis propounderunt.

§. IX.

Notio Transactionis.

Si partes de re quadam, quae actu est in lite, vel proxime in item deducenda inter se disceptant, et de pretensionibus suis aliquid remittunt, ita, vt lis inter illos vel imminens vel iam existens hoc modo finiatur, hae partes transactionem iniisse dicuntur. Exinde quoque *transactione est conuentio onerosa, qua lis imminens, vel iam existens deciditur.* Primaria itaque transactionis requisita sunt, vt I) lis adsit vel iam mota vel imminens a) II) vt ea lis, cuius

DE VSVRARIA PRAV. SVB PALLIATA TRANSACT. II

cuius incertus adhuc euentus exspectandus erat, finiatur, b)
et quidem III) per dationem, retentionem seu promissio-
nem ab vtraque parte factam. c)

- a) L. 1. D. et L. 2. C. de Transactionibus. Exinde quoque distincte
perspiciendum est, quod in transactione dubietas causae, ne in
donationem vel pacum remissorum degeneret, requiratur. Res
dubia autem ab eo statim tempore adest, simul ac unus transi-
gentium de illa litem timet. vid. *Illustr. WALCHIVM*, de
transactionibus propter timorem litis interpositis ad L. II. C. de
transactionibus §. 14. et 15.
b) L. 17. et 33. C. Transactionibus et L. 3. §. 1. ad Leg. Falcid.
c) L. 38. C. de Transactionibus, ubi enunciatio, conuentio onerosa,
in definita transactione usurpata verbis: nullo dato, vel reten-
tuo promisso ineft.

§. X.

Aequalitas in remittendo non est necessaria.

Transactionem esse conuentionem onerosam §pho pre-
cedenti demonstrauimus, exinde, ut ab vtraque parte ali-
quid praestetur, sequitur a). Neutiquam autem iura requi-
runt, ut illa remissio vtrinque praestanda sit aequalis, sed
sufficit tantum pacientes de praetenionibus suis eum in
finem aliquid remisisse, ut lis inter eos vel evitetur vel fi-
niatur. b)

- a) Si unus tantum aliquid praesituit, ille ab altero ad transactionem
dolo inductus censetur. *i. H. BOEHMER in Consult. et Decis.
iur. Tom. II. [P. 1. decis. 81. n. 13.] Per praestationem vero*

omnem significamus modum, quo aliquid dando, remittendo, retinendo vel alio modo ita in alterum transfertur, ut exinde locupletior existat.

b) BRVNNEMANN ad L. 38. C. de Transactionibus. BOEHMER loc. all. n. 12.

§. XI.

Verum non fidum requiritur pretium.

In omni transactione ab utraque parte aliquid praestandum esse, ex antecedentibus patet, ex quo etiam, ut illa mutua praestatio verum constituere debeat pretium, concludendum est. Omnia enim, quae simulata geruntur, pro infectis habentur, itaque inualidam reddunt transactionem a); qua ex ratione eam transactionem, in qua ab una parte modicum quid dicens gratia praestitum est, cum BRVNNEMANNO b) et BOEHMERO c) merito pro nulla declarandam esse puto.

a) L. 21. C. de Transactionibus.

b) ad L. 38. C. eod.

c) in introduc. in ius Digest. pag. 128. §. 12.

§. XII.

An valida sit transactio, si unus transigentium aliquid praestat, alter vero illi mutuam pecuniam dare promittit?

Si mutuae praestationes, quae in transactione requiruntur, in vero et certo consistere debeat pretio (spho prae-

praeced.) transigentes per eas re vera locupletiores existerre necesse est. Cum vero per mutuam pecuniam ullius $\tau\delta$ suum non augetur a) exinde iure meritoque negatiuam amplecti possum sententiam.

a) Cum mutuum quoad speciem est alienatio, per hoc $\tau\delta$ suum debitoris augeri contendendum est. Bona autem non prius intelliguntur nisi deducto aere alieno.

S. XIII.

Connexio.

De iis nunc, quae ad demonstrandam usurariam prauitatem sub transactione palliatam spectant, mihi §pis praecedentibus fuit sermo. His ergo praemissis ad ipsam materiam peruenio, eamque casu quodam singulari perlustrare studebo.

S. XIV.

Quomodo palliatur usuraria prauitas sub transactione?

Non deficit usurariis et foeneratoribus excogitare modos, quibus sibi lucrum usurarum illegitimum in quacunque fere conventione acquirere valent, quos de transactione solum modo huc enarrare neque possibile, neque meum est propositum. Distinguere potius debemus inter eas transactiones, sub quarum essentialibus usuraria prauitas la-

ter, et inter eas, quae conditions et clausulas, ut ita dicam, vsurarias, sint quaecunque velint, habent annexas. Posterioris generis transactiones haec non in se comprehen-dit tractatio, de prioribus autem erit sermo, secundum quas vsuraria prauitas sub iis non aliter palliatur, quam si aliquis vsuras legitimum quantum excedentes accipit, et modum adquirendi pro transactionis essentiali adfimulat, ita, ut exinde ipsa transactio nullitate laboret. Nam sub iis transactionibus, quibus conditions vsurariae immiscentur, vsuraria prauitas proprie non est palliata, sed potius solummodo adiecta et immixta esse videtur.

§. XV.

Continuatio.

Quomodo verum hae denominatae transactiones in se differunt, eodem quoque modo differunt ratione effectus. Transactiones enim, quibus conditions vsurariae seu aliae eiusmodi clausulae adiectae sunt, non statim nullitate laborant, sed multo potius id, quod illicite adiectum est, pro non adiecto habetur. a) Omne id ergo, quod ex tali contractu vsurario iam solutum est, in fortē imputatur, aut, sorte iam soluta, condicione indebiti repetitur, b) aut si Iaesus ab vsurario conuenit, ille exceptione vsurariae prauitatis se tueri potest. Si vero vsuraria prauitas sub ipsis transactionis essentialibus latet, hoc totam conuentiōnem reddit

ita
exas-
hen-
quas
ali-
mo-
ita,
b iis
ntur,
s so-

reddit nullam, quod in sequentibus magis demonstrabitur.

- a) L. 9. et 29. D. de Vsuris.
b) L. 26. D. de Condit. Indebiti.

§. XVI.

De casu quodam, qui materiali plene illustrat.

An vsuraria prauitas proprie et nostro sensu sub transactione palliata sit, ex eius essentialibus perspiciendum est, (§. XIV.) Perlegendō LEVSERVM a) singularem de hac materia inueni casum, qui non huc plene quadrat solum et antea dicta egregie illustrat, sed quoque dissertationi praeprimis dedit occasionem. Verba vero dicti ICTi sunt sequentia. Ceterum non ita diu est, quod ICTi Helmstadienses transactionem ideo, quod ex altera parte nihil praestitum esset, irritum declararunt. Posseſſor ſcilicet praedictus equeſtris aliquamdiu de agro quodam cum ruficis litigaverat. Pendente lite improuifa necessitas ſuperuenit, quae ruficos, ut mutuam pecuniam ab aduersario viro opulento flagitent, cogit. Ille offert quidem pecuniam, ſed duras has conditions, ut ſibi fundum quendam ſub retrouenditionis pacto, praeterea agrum iſtum litigiosum irrevocabiliter cedant, ruficis extorquet. Conficitur ita negotium et speciosum ei transactionis nomen obtenditur. Post aliquod tempus rufici ex angustiis, in quibus haeferant, educti fundum redimunt, ſimul vero agrum cefsum repetunt. Contra-

dicit

dicit quidem eques et transactionis exceptionem obiicit, sed frus tra. Neque enim transactio dici poterat, in qua rustici iure suo cesserant, nullo contra dato vel remissō, suberat potius mutuum palliatum et contractus usurarius legibus imperii prohibitus. Nemō negabit, sub hac inita transactione usurarijam prauitatem esse palliatam. In omni enim transactione ab utraque parte aliquid praestandum est, (§. IX.) alias conuentio illa tanquam transactio valere nequit. Nunc quomodo haec requisita transactionis in casu a LEYSERO tradito obseruata sunt, videbimus. Rustici fundum quendam non litigiosum sub retroueditionis pacto et agrum illum, de quo litigauerant, irrevocabiliter cedebant, possessor vero praedii equestris pecuniam mutuo dare illis promittebat; rustici liti et causiae renunciabant, et ita omnia praestabant, quae ab iis vlo modo postulari poterant, e contrario autem aduersarius eorum nihil remittebat, cum rustici per oblationem mutuae pecuniae in eius compensationem, quod a suis partibus remiserant, nihil accipiebant. (§. XII.) Per se inualida haec est transactio, simul verum sub ea quoque usuraria prauitas palliata. Omne enim id, quod excedit modum et quantum usurarum in legibus licitum, quoouis etiam sub colore et specie fiat, est usuraria prauitas (§. VII.) ex quo sequitur, eas a rusticis factas supra enarratas praestationes pro excessu usurarum a legibus prohibito, sicutque pro lucro usurario merito esse putandas.

Habes

Habes igitur usurariam prauitatem sub transactione palliatam.

a) *specim. XLVII. §. 6*

§. XVII.

Quid, si possessor illius praedii equestris pecuniam mutuo absque usuris dedisset?

Casu proposito in circumstantiis ita mutato, aliter, quam in antecedenti §pho factum est, decidendum esse videtur. Delictum quidem usurariae prauitatis ob excessum usurarum semper manebit, ad explicandam tamen quaestionem: an tunc haec usuraria prauitas sub transactione sit palliata? omnem nauare debemus operam, cum liber usus fortis cuiusdam debitori in se usui sit, et ita creditor verum praefect pretium. Quamvis vero usurarius de ipsa sorte usuras sibi non expresse stipuletur, sed potius gratuitum eius usum debitori concedit, attenuatamen etenus, quatenus alias a partibus suis ipse nihil praefstitit, e contrario autem praefestationes a debitore factae, quovis sub nomine veniunt, §. VII. legitimum modum et quantum usurarum transgrediuntur, usuras quoque immoderatas de sorte sumit, cum debitor ex sorte ipsi absque usuris data nullum habeat commodum. Noua huic transactioni ad decipiendos miseros debitores subfasset fallacia, quae, cum a legibus in transactionibus non toleretur a), ne minimam quoque

C

muta-

mutationem tam quoad effectus criminales, quam ciuiles producere potest. Si itaque in casu §pho XVI. adducto possessore illius praedii equestris rusticis, suis pecuniam absque usuris mutuo dedisset, tamen illa transactio ob usurariam prauitatem sub ea palliatam omni valore est destituta.

a) L. 21. C. de *Transactionibus.*

§. XVIII.

Dubium proponitur.

Nullam plane leges usurariam prauitatem prohibentes inter eum, qui rei non satis cognitus et persuasionibus usurarii impulsus est, et inter eum, qui scienter ultra legitimum quantum usuras soluerit, a) faciunt distinctionem; potius omnibus iis, qui iure conqueruntur de laesione, auxilio succurrunt. Maxime tamen dubitandum est, an hic fauor iuris ad eos quoque, qui ita consulto et deliberato soluerunt animo, ut donatio potius et iuris renunciatio exinde praesumi possit, extendendus sit? Scienti enim (et volenti non sit iniuria b); qua ex ratione leges iis repetitionem denegare videntur, qui consulto dederrunt. c) Si vero illis hisce sub circumstantiis repetitio soluti denegatur, eos quoque ipsam transactionem ob defectum essentialium impugnare non posse, magnam praese fert verisimilitudinem.

4) Hic

DE VSVRARIA PRAV. SVB PALLIATA TRANSACT. 19

- a) Hic per solutionem idem, quod supra §. X. per praestationem significamus.
- b) L. 145. D. de Regul. iuris.
- c) L. I. D. de Condit. Ind. et L. 53. D. de Regul. iur.

§. XIX.

Refutatur dubium.

Quotidiana verum edocemur experientia, debitores multum sumentes plerumque in angustiis constitutos, siveque eo facilitiori modo a callidis creditoribus ad ea commoueri posse, quae iis sunt noxia, apertamque inuoluunt laetionem. Pressi necessitate debitores admodum duras conditio[n]es ineunt, quas alias non iniissent, ex quo, eos debitores, qui ultra legitimum quantum usuras seu aliud, quod earum naturam induit, stipulantur, in necessitate constitutos fuisse, praesumtio oritur. a) Nemo autem, qui necessitate premitur, animum donandi habet b), quae etiam vera est ratio, cur eam transactionem, sub qua ultra quantum legitimum scienter solutum est palliatum, pro nulla declaramus. Huic demum quoque hanc rationem adiicere possumus, quod legibus tam expresse prohibitiis neque renunciari c), neque quod in iis sanctum priuatorum pactis immutari d) possit, siveconuentio in se illicita per spontaneam oblationem licita fieri nequeat.

a) Ex eadem quoque ratione lex commissoria in contractu pignoratatio abrogata et plane prohibita est. L. vlt. C. de Pactis pignor.

C. 7. x. de Pignoribus LEYSER medit. 158. §. 2. LAVTERBACH
Lib. xiiii. Tit. 7. §. 10.

b) L. 18. D. de adimendis vel transfer. leg.

c) L. 5. C. de Legibus et constit. BRUNNEMANN ad dict. legem
L. 29. C. de Pactis.

d) L. 1. D. de Pactis.

§. XX.

Quid, si transigentes exceptioni usurariae prauitatis expresse renunciauerint?

Si in transactionibus exceptioni usurariae prauitatis renunciatur, hoc plerumque ab eo transigente, cuius maxime interest, eum in finem postulatur, ne alter a transactione ob usuriam prauitatem recedere possit, ad minimum si usuraria prauitas sub ea est palliata, id praesumitur. Usurarius hoc modo sub fictitiis representationibus laedit, sive dolo agit; a) nulla vero pactio effici potest, ne dolus praefetur b); ex quo, quod si aliquis exceptioni usurariae prauitatis renunciauerit, eum quoque implicite exceptioni doli renunciasse contendendum est. Quomodo itaque renunciatio exceptionis doli, eodem modo renunciatio exceptionis usurariae prauitatis omni effectu destituta est. Denique et ea huc ad corroborandam magis sententiam repetere possumus, quae sub finem §phi antecedentis dicta sunt.

a) L. 7.

DE VSVRARIA PRAV. SVB PALLIATA TRANSACT. 21

- a) L. 7. §. 9. D. de Paſtis et L. 1. §. 2. D. de Dolo malo.
b) L. 27. §. 3. D. de Paſtis et L. 23. D. de Regul. iuris.

§. XXI.

*An recedi posſit a tali transactione iam accessa
iudiciale confirmatione?*

Contractu perfecto pacientes eius contenta vel in instrumento iam extenso, vel in simplici punctatione, vel etiam oretenus iudicio plerumque offerre, eiusque confirmationem ab eo petere solent. Per confirmationem iudicialem autem nihil aliud, quam actus intelligitur, quo iudex auctoritatem et consensum suum ad stabiliendam magis conuentionem interponit. Confirmatio iudicialis ergo neque noui quid continet, a) neque maiorem, quam antea habuit contractus, addit efficaciam; b) potius subinde clausula: in quantum contractus de iure valet, semper intelligitur. Itaque proposita quaestio, an a transactione, sub qua usuraria prauitas est palliata, a iudicio tamen iamiam confirmata, recedere liceat? nullo amplius dubio est subiecta, cum vnicuique contra talem conuentionem, et ita quoque transactionem, non abstante iudiciali facta confirmatione, ius suum querere liberum est. c) Non obstat quoque, si investitura desuper iam facta est, d) quod in iis transactionibus imprimis occurrit, in quibus bona immobilia data vel cessa sunt, quem casum exemplum §. XVI.

C 3

in-

inductum egregie illustrat. Per multi quoque de laesione absque sua culpa ipsis illata conquererentur, si confirmatio iudicialis talem produceret effectum, ut transactionem in se inualidam redderet validam, cum satis notum sit, quam obiter saepius a iudice instrumenta desuper confecta perlegantur, ita ut confirmationi ipsi sufficiens causae cognitio saepe numero non praecesserit.

- a) HORN in *consultar.* Cl. xvi. resp. 7. pag. 1231. ac HERTIVS *Refp.* 257. n. 10.
- b) C. 9. x. de *Confirmat.* C. 6. porro de *fide instrument.*
- c) L. II. C. de *Praediis et aliis reb. minor.* L. 7. C. de *Sententiis et interloquunt.*
- d) BERGER P. II. *Suppl. centur.* 2. *confil.* 29. p. 1431.

§. XXII.

Num, si unus transigens ad seruandam talem transactionem se iuramento obligauerit?

Vsurarii, et imprimis ii, qui de inualiditate talis transactionis quodammodo eruditii sunt, multiplici modo, ne forsitan lucrum exinde quaesitum perdant, et praeterea promeritam incurant poenam, per iuramentum ab altero praestitum sibi consuluisse credunt; sed valde in opinione sua falluntur. Leges enim vsuras vltra legitimum quantum, sicque vsurariam prauitatem expresse prohibit, §. III. et cum legibus expresse aliquid prohibentibus nulla ratione possit renunciari, §. XIX, iuramentum quoque de non impugnan-

pugnanda transactione praefitum omni valore destitutum et minime seruandum est, a) quod etiam ius canonicum affirmat, b) et ita legem: omne iuramentum quod salua salua salute aeterna seruari potest, seruandum esse c), limitat. Eamdem pariter rationem h[ab]it[us] legislatores proisse habuisse videntur, quod debitor in necessitate constitutus ad omnes fere conditiones, quantum in eum est, ineundas, vt se per pecuniam mutuo acceptam ex augustiis, in quibus haeret, educat, facillimo modo compelli queat.

a) L. 7. §. 16. D. de *Pactis*. L. 5. §. 1. C. de *Legib[us]* ex *confitut[us]*.

b) C. 12. x. de *foro competente*.

c) Quamvis, de *Pactis in Sexto*.

§. XXIII.

*Quomodo in casu, si transactio ipso iure nulla,
contra usurarios agendum est?*

Duplici modo transigens per usurariam prauitatem laesus sibi consulere valet, agendo scilicet et excipiendo, cum et illi exceptio non deneganda est, qui ratione alicius iuris actionem instituere potest. a) Qualem vero ille actionem eligere debeat, ex qualitate huius transactionis diudicare debemus. Transactio, sub qua usuraria prauitas est palliata, non eatenus solum, quatenus usuraria, sed etiam ob defectum essentialium omni vi, valore et effectu destituta est. Facili negotio ergo exinde deducendum est, quod,

cum

cum transactio aperta nullitate laboret, actio mouenda eo tendere, debeat, ut illa pro nulla declaretur, b) omniaque data vel soluta et accepta restituantur. Quamuis enim per declarationem nullitatis tota transactio corrut, itaque omnia ea, quae per eam data vel soluta et ab altero accepta sunt, per se restitui debeant, c) attamen non nocet, si restitutio eorum petitio insertur. Raro autem usurarii lucrum per usurarium contractum sibi quaesitum exspectare possunt, aut partes actionis fauorabiliores esse sibi persuadent, hac ex ratione alterum transigentem actione ad implementum transactionis praeuenire solent, quo casu hic exceptionem usurariae prauitatis opponere, suaque iura per hanc contra actionem motam defendere potest. d)

c) L. I. §. i. D. de Superficie.

b) S. STRYCK. V. M. Lib. XXII. Tit. I. §. 46. MEVIVS von wucherlichen Contrachten P. 1. Cap. v. §. 8. quibus de conuentione usuraria in se nulla est sermo.

c) Hic enim huius actionis primarius est finis.

d) STRYKE et MEVIVS loc. citatis.

§. XXIV.

Tam in processu ordinario quam executivo usurariae prauitatis exceptio admittenta est.

Si transigens usurarius alterum transigentem actione praeuenit, hunc exceptione usurariae prauitatis se tueri posse

posse, sub finem §phi praecedentis demonstrauimus. Nunc siue sit processus ordinarius siue executiuus denominata exceptio opponenda est, posteriori verum in casu, si illa in continenti est liquida, sive huic generi processus conuenienti modo potest probari. *a)* Hac probatio autem vel ex ipso instrumento ab aduersario producto, *b)* vel etiam aliunde, similiter per alia instrumenta seu partis aduersae confessionem *c)* fieri potest, et sufficit, si de vsuraria prauitate exinde sine dubio constet. Omnes vero exceptiones peremptoriae in hoc processus genere recognitioni adiungendae sunt, quocum eo minus praedi-
cium quoddam coniunctum est, quo magis recognitio instrumentorum semper sub clausula: saluis exceptionibus intelligatur. *d)* Huc denique notari meretur, exceptionem vsurariae prauitatis hac singulari gaudere praerogatiua, quod illa secundum ius Saxonum electorale in ipso executionis termino, si, quod per se patet, non latioris est indaginis, opponi possit. *e)*

a) BEN. CARPZOV in process. iur. Sax. Tit. XXII. art. 3. §. 4.
HARTM. PISTOR. p. 4. q. 10. n. 15.

b) Tunc liquiditas exceptionis eo minus est dubitanda. MATH.
COLER. de process. execut. P. 4. C. 1. n. 48. sqq. ZANGER de
except. P. III. Cap. 26. n. 61. sqq.

c) Alias enim executionem reus impedire non valet. BEN. CARP.
ZOV. l. c. art. 4. n. 14. COLER. l. c. C. 2. n. 23.

d) SCHAVMBVRG Pr. Prax. Jur. iud. P. II. Lib. II. C. 2.
§. II.

e) WERNHER Sel. Obs. for. P. II. obs. 499. BERGER Suppl. ad
El. Tit. XI. p. 325.

§. XXV.

De poenis usurariorum.

Vsuraria prauitas est delictum; §. VII. egimus ergo
huc vsque de delicto vsurariae prauitatis, in primis de
casu, si illud sub transactione est palliatum. Quodlibet de-
lictum autem sequitur poena, itaque, vt de ea pauca adii-
ciamus, instituti ratio postulat. Vario modo crimen vsurariae
prauitatis, scilicet iure ciuili infamia iuris a), iure canonico,
excommunicatione, amissione iuris testamenti factionis
et honestae sepulturae b), et legibus imperii, priuatione
fortis quoad quartam partem c) vindicatur, quales ef-
fectus ii sunt, qui communiter a multis ICtis d) recen-
sentur, de quibus solummodo priuatio quartae partis for-
tis adhuc in usu esse videtur. Praeter hanc poenam
pecuniariam autem vsurariis extraordinaria arbitrio iudicis
determinanda infligi potest, e) quo de casu sententiam eo
modo

modo conceptam apud CARPZOVIVM f) legimus. Quo-
modo verum quaelibet poena, imprimis arbitraria, secun-
dum moralitatis gradum definienda est, ita quoque vsu-
rarii eo grauiori afficiendi sunt, quo callidores in stipu-
landis illegitimis usuris fuerunt, et quo magis debito-
rum necessitate ad finem consequendum vti quaesiuere.
Rigorose tandem hoc ob crimen reipublicae tam noxiu-
m contra usurarios procedendum esse, ex eo patescit, quod
iudex querelam laesi non exspectare, sed ex officio g)
in hoc inquirere debet.

a) L. 20. C. Ex quibus cauſſ. inf.

b) C. 3. x. C. 2. de Vjuris in Sexto.

c) RECESS. IMP. de anno 1548. tit. 17. §. 7. REC. IMP. de
anno 1577. tit. 17. §. 8.

d) BEN. CARPZOV pr. crim. P. I. L. quacſt. 92. n. 28. *sqq.* LAY-
TERBACH Lib. II. Tit. I. §. 30. *Perilluſtr. HELLFELD iurispr.*
forenſ. §. 1136. cum aliis.

e) BENED. CARPZOV loc. cit. n. 29. *sqq.* MEVIVS von wucherli-
chen Contraſten. P. I. C. 5. §. 12.

f) loc. cit. n. 31.

g) MEVIVS loc. cit. §. 9. qui verba RECESSVS IMP. locis all.
pro fundamento ſui aſſertii poſuit.

§. XXVI.

Conclusio.

Sufficient nunc ea, quae de usuraria prauitate sub
palliata transactione dicta sunt. Benevolus lector hanc
dissertationem, tanquam primum specimen, benigne acci-
pet, emendanda in ea emendet, et plane omissa supple-
bit. Hocque est, quod ego ab eo peto, et quam ob-
causam me ipsi de meliori modo com-
mendo.



CON.

Jena, Diss., 1772-74




56.

B.I.G.

Black	White	3/Color	Magenta	Red	Yellow	Green	Cyan	Blue

Farbkarte #13



DISSE^TRAT^O IN AVGVRALIS IVRIDICA
DE
**VSVRARIA PRAVITATE
SVPALLIATA TRANSACTIONE**

1773,2
13
QVAM
DIVINA ADIVVANTE GRATIA
EX DECRETO ILLVSTRIS IVRISCONSVLTORVM ORDINIS
P R A E S I D E
CAROLO FRIDERICO WALCHIO

. V. D. AC PANDECT. PROF. PVBL. ORDINARIO SERENISS. DVC.
GOTHAN. ET ALTENBURG. CONSILIAN. AVLIC. CVR. PROVINC.
AXON. COMMVN. SCABINOR. COLLEGII AC IVRECONS. ORDINIS
DSESS. SOCIET. LATIN. IENENSIS EPHORO ET FLORENTINAE
COLVMBARIAE DVISBURG. AC BREMENS. LITTER. COLLEGA

H. T. ACADEMIAE RECTORE
PATRONO ET PRAECEPTORE SVO
SEMPER PIE COLENDO

SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS
PRO
RITE CONSEQ VENDIS
DIE XXVII. NOVEMBRIS MDCCCLXXIII.

PVBLINE DEFENDET
AVCTOR
CHRISTIANVS CAROLVS FVRBRINGER
CELSISSIMORVM COMITVM IVNORIS LINEAE RVTHENORVM
ADVOCATVS IMMATR.

I ENAE
EX OFFICINA STRAVSSIANA.

